

bus originem habeant, accurate, et singillatim indicandæ sunt.

§. 131.

Super objectis Defectibus explanationes, super his ulteriores objectiones, ac denique ultimæ explanationes porrígendæ sunt. Pro explanatione termini exceptionis pro ulterioribus objectionibus termini replicæ, denique pro ultimis explanationibus termini duplicæ præfigendi sunt, sicque processus rationarius semper scripto deducendus est.

C A P U T XI.*De Probationibus.*

§. 132.

Qui sive Actor, sive Reus factum adduxerit, illud probare tenetur: secus in causæ decisione, quatenus Adversarius eidem contradixerit, verum habendum non est.

§. 133.

Præsumtiones, quibus Lex vim specialem non attribuit, probationem conficiunt.

Proc. Jud. Transilv. E

§. 134.

§. 134.

Extra casus in hac constitutione expresse præfinitos Judici non liceat, partibus probationem qualemcumque, vel post, quam eadem de Jure suo docuerint, ulteriorem injungere.

C A P U T X I I I .

De probatione per confessionem.

§. 135.

Si una partium litigantium circumstantiam facti ab adversa expositi, in judicio confiteatur: talis circumstantia in eodem processu plene probata habeatur.

§. 136.

Ea, quæ Defensor, seu Advocatus ex mandato agens, Procurator, Tutor, vel Cūrator nomine Partis, cuius vices sustinet, circa factum in judicio confessus fuerit, in eodem Processu pariter vera habenda sunt: nisi Pars principalis, aut Pupillus durante Processu ætatem legitimam nactus in secunda saltem scriptura, aut vero in causis §. 2. exceptis

in